



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

V. An ad veritatem prædicationis 5ⁱ prædicabilis requiratur existentia
subjecti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

D V B I V M V.

An ad veritatem prædicationis si prædicabilis requiratur existentia subiecti.

A Ntè Resolutionem
DCCCVII. Suppono 1^o, dubium maxime procedere de accidentibus positivis, inter quæ aliqua realia & intrinsecè denominantia, ut albedo respectu parietis, frigus respectu aquæ: alia intentionalia, & extrinsecè denominantia, ut cognitum, volitum, &c. respectu objecti.

DCCCVIII. Suppono 2^o, subiectum esse duplex unum inhæſionis, aliud denominationis. 1^{um} est, id quod Accidens in se recipit. 2^{um} est id, de quo Accidens prædicatur. His suppositis, fit

R E S O L U T I O I.

DCCCIX. **D**ICO 1^o, Accidentia realia & intrinsecè denominantia, ut verè prædicentur, requirunt actualem existentiam sui, in subiecto denominationis pro eo tempore, quo de illo enuntiantur.

DCCCX. Probatur 1^o; quia in eo, prædicatio contingens & 5ⁱ prædicabilis opponitur essentiali & Proprii 4ⁱ prædicabilis, quod in hac copula absolvetur à tempore, & ideo dicatur æternæ veritatis; non item in illa: quod fit ut dicatur temporalis tantum veritatis; sed, si dicta accidentia non requirerent actualem existentiam sui in subiecto, &c. ut verè prædicarentur, hæc oppositio foret nulla; ergo, &c. Probatur minor, quia sufficeret possibilis existentia eorum, quæ æterna est, propositionisquæ 5ⁱ prædicabilis foret hic sensus: Accidens reale, &c. potest actu esse in subiecto, qui sensus est æternæ veritatis, ergo, &c.

DCCCXI. Probatur 2^o; quia alioqui hæc propositiones essent actu veræ, *Iudas est salvatus, Anti-Christus est albus, Spiritus Sanctus est incarnatus*, quod Catholicorum nullus admisit, ergo, &c. Pro-

batur sequela, quia in Iuda salvatio, in Anti-Christo albedo, Spiritus Sancti incarnatio absolute esse possunt; nec requireretur, ut actu illis inessent, ergo, &c.

DCCXII. Objicies 1^o, hæc prædicationes, *Petrus est albus, aqua est calida*, sunt hoc sensu semper veræ, *Quando Petrus est albus, est contingenter albus: quando aqua est calida, est contingenter calida*. Ergo Accidentia realia, &c. ut verè prædicentur, non requirunt actualem existentiam sui in subiecto.

DCCXIII. Respondeo, allatum sensum esse omnino contortum, & contra communem usum; propositionum enim 5ⁱ prædicabilis sensus est absolutus (quomodo dictæ propositiones sunt falsæ, nisi Accidentium sit actualis existentia in subiecto;) aliarum verò conditionatus, hoc sensu, *si Petrus existit, existit rationalis, risibilis, &c.* quia alioqui non appareret, quomodo prædicata 4. primorum prædicabilium præ aliis 5ⁱ prædicabilis, suis subiectis æternum conveniant.

DCCXIV. Objicies 2^o, hæc prædicationes *rosa est odorifera, lilium est album*, sunt veræ, etiam in hyeme, dum nullæ rosæ, aut lilia, existunt, ergo, &c.

DCCXV. Respondeo distinguendo antecedens: si *ly odorifera & album* sumantur actualiter, sunt veræ, &c. nego antecedens: si verò sumantur aptitudinaliter, concedo antecedens: sed ut sic allatæ propositiones non sunt 5ⁱ prædicabilis, sed 4ⁱ, ut satis patet ex dictis Disp. præcedenti de aptitudine ignis ad habendum calorem.

R E S O L U T I O II.

DCCXVI. **D**ICO 2^o. Accidentia intentionalia & extrinsecè denominantia, non requirunt subiecti denominationis extrinsecæ existentiam, ut verè de illo prædicentur.

DCCXVII. Probatur, quia aliquid verè dicitur cognitum, volitum, &c. imò & Vniversale, ut patet ex dubio præcedenti, licet non existat, ergo, &c.

F I N I S.



TRACTA-